

*Myosotis sylvatica* (Lehm. sec. Fr.); *Luzula parviflora*  $\alpha$ .; *Luzul. campestris*  $\beta$ .; *Epilobium alpin.*  $\beta$ .; *Saxifraga Cotyledon*  $\alpha$ .; *S. caespitosa*, var. *inferior*; *Stellaria longifolia* (Fries u). *Lych-*

u) In Lapponia plane nullos invenio limites inter *St. longifoliam* et *gramineam*. Immo *St. uliginosa* var. *alpestris* (Hartm. Fl. Scand, quæ *St. uliginosa* Wg. Fl. L.; talis enim uliginosa, quæ in Svecia australiori, nullibi in Lapponia adhuc visa, quod equidem sciam), variis formarum modis *St. gramineæ* variationibus adeo appropinquatur, ut interdum sit difficile dijudicatu, utrum formæ quædam mediæ hujus an alterius sint speciei. Incipiens a *St. graminea*, var. *alpina* (Læst. V. A. H. 1825), cui calyces hujus ordinis obtusissimi, maximeque enerves, continuatur series per *St. gram.*  $\beta$ . *Dillenianam*, (cui extremitates *St. uliginosæ*  $\beta$ . *alpestris*, Hn. valde approximantur), indeque ad *St. longifoliam* accedens, *St. gramineam*  $\alpha$  et *St. glaucam* præterire videtur, donec formam hujus ordinis maximam assequitur, cujus folia æque lata ac *St. Holostææ*, sed breviora. Hujus formæ calyces optime evoluti, maximeque nervosi, et longe acuminati. Harum formarum flores, nunc terminales nunc laterales s. axillares; panicula nunc ramosissima, mox pauciflora; petalis calyce longioribus, mox brevioribus, postremum nullis (in umbrosiossimis). Sepala longe acuminata nervosa, mox obtusa et enervia. Folia ex oblonga in lanceolatam, per linearem in subulatam demum abeunt figuram. Planta inter pollicarem et sesquipedalem altitudinem varians. Harum itaque formarum nullus finis.

Multo mihi memorabiliores videntur variæ *St. crassifoliæ* formæ, quarum *St. uliginosa* var. *paludosa* (Læst. V. A. H. 1825) certe insignior est caule erecto, foliis ovatis, floribus terminalibus. Prorsus eandem dedit Rev. Sommerfelt, foliis tamen lanceolato-oblongis, cui nomen *St. crassifoliæ*  $\alpha$ . inscripsit; eadem forma, sed adhuc minor in paludibus, sphagno repletis, legitur in Lapponia Tornensi, floribus subterminalibus et petalis calyce constanter majoribus.